



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina  
Evangelica De Meditatione mortis**

**Kispenning, Henricus**

**Antverpiæ, 1583**

De eadem Vita & Beatitudine æterna, D. Cypriani Sententia. xxxij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorum solis, & omnis visibilis forma. De Rege ipso nihil satis idoneum dici potest: adeo sermonem & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formositas, splendor, gloria, maiestas magnificentia. Petrus dixit: Bonum est hic nos esse. Si Petrus, qui vidit obscuram quandam in monte imaginem futurorum, omnia continuo reiecit ab animo propter voluptatem inditam anima à tali aspectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit: quando regis cubiculis adaperitis contueri licebit ipsum Regem, non per anigma, nec per speculum, sed facie ad faciem?

Matth. 17.  
Luc. 9.

1. Cor. 13.

Pfalm. 45.  
Pfalm. 35.  
Pfalm. 22.  
Apo. 14.  
Apo. 7.

O gloriosa Civitas Dei, quam latificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix inebrians quam praeclarus: in qua cum Christo gaudent Sancti Dei, amicti stolis, sequentes Agnum quocumque ierit. Et cantant Domino, cum S. Angelis: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum & Agno, Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in secula seculorum Amen. Quo cantico in gloria Gratiae Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi incundius civitati.

August. de  
Civit. Dei.  
lib. 2. c. 39.

De eadem Vita & Beatitudine aeterna, D. Cypriani Episcopi & Martyris sententia.

CAPVT

XXXII.

Serm. de Ascensione  
Domini.

**E**Xultabunt sane Sancti in gloria: videbunt Deum, & gaudebunt, letabuntur, & delectabuntur, & fruuntur gloria: & in felicitate incundabuntur aeterna. Ibi non gustabunt, quae suavis est Deus, sed implebuntur & satiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit: omne desiderium eorum Christus praesens implebit. Non senescunt, non tabescent, non putrescet amplius: perpetua sanitas, felix aeternitas, beatitudinis illis sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris: non

ulla



illa exurget rebellio carnis: sed totus hominis status pudicus & pacificus: sana ex integro natura, sine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique omnia in omnibus: & illius presentia omnes anima & corporis implebit appetitus: cessabuntq; de cetero consummatis omnibus ministratorij angelicarum virtutum discursus. & impleta ordinataq; omnino Ciuitate Dei, nec inuouabitur nec mutabitur ultra fixa & consummata Beatitudinis status. Ei igitur ante cuius tribunal stabimus, qui nunc vultus Dei apparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, ut pro nobis vellet nasci & mori, in presenti quasumus, ut sit cura curandi nos, & nobis auctoritatem & potestatem iudicandi nosmetipsos & corrigendi concedat: ut in illo terribili iudicio suo inter electos suos congregati, liberiq; a seruitute & captiuitate, caelestibus ciuibus coniungamur: & fruamur bonis, quae ipse diligentibus se repromisit: quae nec oculus vidit, nec auris audiuit.

2. Cor. 1.  
Heb. 9.

Esa. 64.  
1. Cor. 2.

Ab historia Transfigurationis Domini in monte Thabor: Consolatio. Ex Matthaei Cap. 17. Lucae Cap. 9.

**H**istoria Transfigurationis D. N. Iesu Christi in monte Thabor, proponit nobis letam imaginem lucis, splendoris, maiestatis & gloria: qua omnes in Christum credentes, pieq; viuentes, per vocem filij Dei, & extremam tubam, ad immortalitatem ex terra puluere resuscitati, a Deo in aeterna vita exornabuntur. Vt enim Christus presentibus Mose & Elia, & tribus discipulis suis Petro, Iacobo & Ioanne, transformatur: & facies eius induit formam, splendorem & claritatem, qualis est fulgor radiorum solis: color autem vestimenti eius albus & resurgens, seu, ut Marcus Euangelista

CAPVT  
XXXIII.

Ioan. 6.  
1. Theff. 4.

habet